





Q. F. F. Q. S.

DISPUTATIO JURIDICA

De

NUNDINIS.

Quam

Magnif. Amplifs. Jctorum

Ordine permittente

PRÆSIDE.

GOTFRIDO SCHNEIDERO,

J. U. D. & Cur. Provincial. Advocat.

Ordin.


Publica Eruditorum censura subjicit

JACOBUS Luedecke /

Müling. Saxo.

In Auditorio Jctorum

d. Maj. horis antemerid.



WITTEBERGÆ

Excudebat JOHANNES RÖHNERUS Acad. Typogr.

ANNO MDC XLIX.

67.
54

87
28
1644
7
30
De hac mater
Frisid tractatu
rg Frisig.



PERILLUSTIBUS AC GENEROSISSIMIS
COMITIBUS ET DOMINIS

DN. HEINRICO ERNESTO,
Comiti in Stolberg / Rittsches
forth / Wernigrode und Hohenstein/
Domino in Eckstein / Munsenberg/
Breüberg / Lohra & Kler-
enberg.

DN. JUSTO GÜNTHERO,
Comiti in Barby, Dynastæ
in Mühlungen & Rosen-
burg.



*Triennium nunc ferè est Perillustres ac Generosissimi Comites
Domini Clementissimi, ex quo Wittebergam, tanquam ad Mer-
caturam optimarum artium sum allegatus, nihil autem ad hoc usq;
temporis momentum, ex quo, quid in hoc celeberrimo artium &
studiosorum Emporio mercatus sim, constare possit, à me prodiit.
Cujus cum me pœnitere ferè cœperit, quippe, qui nobilissimos illos artium, (ut
ita dicam) mercatores ne vidisse quidem videri possem, hasce de nundiis con-
scripsi Theses, easq; permittente idipsum Magnif. Ampl. JCrorum ordine,
publicæ eruditorum exposui censuræ. Cum autem Vestra Domini Clemen-
tissimi beneficentia quam maximè hîc hætenus sim sustentatus, ut non in im-
memorem & ingratum. V. V. G. G. grati, subjecti, & humillimi animi ergo
dicatum, obq; majorem Commendationem demerendam consecratum volo;
Omnino confidens; V. V. G. G. vultu sereno illud accepturas, meq; eadem quâ
hætenus (id quod subjectissima animi devotione anhele, precor, exopto) cle-
mentia prosecuturas esse.*

Dab. in celeberrimâ ad Albim
Academia.

V. V. G. G.


Subjectissimus

Jacobus Guedecke/
A. & R.



I.

Nundinæ quasi Novendinæ à nono die
sunt dictæ?



Nundinarum vox, de quibus bre-
vem dissertationem condere animati sumus, à
nono die descendit. Wesenb. *in Parat. n. 1.* Ideò
nimirum, quod nono quoque die agricolæ, ven-
dendæ emendæve mercis causa, in Urbem
confluebant. Quocirca Dionys. Halicarnass. *l. 1. Antiquit. Ro-
man.* scribit: Sed iisdem tam bellica, quam rustica injunxit
munia; in pace otio assuefaciens ut ruri manentes incumbere-
rent operi nisi quando mercatu opus esset. Tunc enim in
urbem iri posse ac emi necessaria non à quâq; die nundinis as-
signatâ. Et *lib. 7.* Aliquanto clarius: Nundinæ autem Romæ
nono quoq; die celebrabantur, ut nunc etiam. Iis nundinis
plebs agrestis in urbem confluebat, venaliaq; permutabat, &
jure inter se agebat, & suffragia ferebat de negotiis publicis
de quibus vel leges ei permitterent arbitrium, vel Senatus ad
eam referret: reliquis septem diebus intermediis ruri dege-
bant, quod magna pars ob paupertatem operarentur suis ma-
nibus. Insigniter quoq; huc faciunt ea, quæ habet Caspar
Barth. *l. 35. Adversar. c. 8. p. 1602.* ubi corrigit lectionem carmi-
nis, Moretum quod inscribitur, cuius autorem Septimium
Serenum perhibet. Legitur autem versu 19.

— — — — certisq; diebus

Venales olerum fasces portabat in urbem.

Quam lectionem rejicit, atq; Scaligeri amplectitur, quæ ha-
bet, *nonisq; diebus*, quia nimirum per hæc verba Nundinæ in-
telliguntur. Sunt nonnulli, qui Nundinarum vocem à DEA
quadam Nundina dictâ, deducunt; à nona nascentium die
sic nuncupatâ, qui & dies lustricus vocatus, quod eo scilicet

infantes lustrabantur, nomenq; eis imponebatur. Rosin. l. 2. *Antiquit. Romanan. c. 19. p. 384. lit. B.* ibiq; allegat. Macrob. l. 1. *Saturnal. c. 16.* Quam tamen derivationem ob autofitatem magnorum virorum priori posthabemus ex æquo.

II.

Applicatur autem hæc vox diversis.

Variè usurpatur penes autores. Modo enim pro tempore sumitur, sub quo conveniri ad mercatum solet. Dionys. *dd. ll.* Interdum locum ipsum, in quo convenitur denotat. Scacc. *de Commerc. p. 331.* *Significant*, ait, *Nundina locum ubi fiunt hæ, & mercimonialis conventus ad emendas vendendasve merces instituitur.* Est, cum pro epulis venit. *l. 69. ff. pro Socio.* Quæ lex interpretibus, imprimis verò Cajacio prout ipse *lib. 4. Observ. 17.* liberè fatetur, crucem fixit. Usq; adeo, ut minus adhuc à se intellectam eam esse, scribere haudquaquam vereatur. Pro cuius tamen explicatione v. Gothofr. *in not. ad b. l. Alexand. ad Alexand. l. 5 gen. dier. c. 7 in pr.* Nonnunquam & Ferias seu dies feriatos significat, quibus jus non dicitur, nec sui potestatem Magistratus facit *l. 5. ff. de Fer. Wesenb. in parat. n. 3.* Treutl. *v. 1. disp. 9 th. 9. lit. E.* Deniq; verò actum ipsum seu exercitium emendi vendendiq; indicat. Siebenthal *Exerc. Pol. 7. th. 37.* Schönborner. *l. 4. Polit. c. 31.* Qui quidem significatus huc proprius facit, quem ideo pro vero ac genuino agnoscimus.

III.

Et diversimodè quoque effertur.

Dicuntur siquidem Nundinæ & Nundinum. Varro Genontodidascolo: *Quoties homo priscus ac rusticus Romanus inter Nundinum barbas radebat.* Caspar. Barth. *Adversar. l. 7. c. 12. p. 335.* Conventus mercimonialis. Scacc. *d. l.* Græcè vocantur *πρωμηνίδς* Gothof. *ad l. un. C. b. t.* Germanicè vero Messe. Inde videlicet, quod olim cum Sacello seu annuo sacro fuerunt institutæ. Matth. Wehner. *in Observat. practic. verb. Messe und Märkte.* Qua ratione vocem germanicam Messe à Messa nonnulli derivant: Cum eò potissimum tempore, dum Missæ legeban-

gebantur, (quod priusquam viliores esse cœperant, bis aut
ter quotannis fiebat) propter frequentiam eò venientium
Nundinæ committebantur. Math. Berneccer. *in Indice in Ju-
stin. verb. Mercatus.* Sic & originem suam traxisse dicuntur
Nundinæ quæ singulis annis die Mauritii Magdeburgi ha-
bentur, vulgo die *Herrmessen / Dres. de Urb. German.* Hottom.
in c. un. Quæ sint Regalia teste Vult. *de Feud. l. 1. c. 5. n. 5.* Palatia
quoque pro Nundinis accipit, quas concedendi jus sit de Re-
galibus, & pro palatiis legit placia vel placita. Verum re-
fragatur ipsi concors omnium Codicum lectio, nec causa est,
cur à lectione ista recedamus, cum & Palatia solis competant
Principibus, quippe quæ nihil aliud sunt, quam loca usibus
Imperialis Majestatis destinata, ac velut consecrata *l. 17. C. de
Oper. Publ. Reink. de utroq; Reg. l. 1. cl. 2. c. 8. n. 80.*

IV.

Ad Mercatus tamen transferri haud potest:

Frustra sunt omnes illi, qui demum cunq; sunt, qui Mer-
catus & Nundinas pro uno eodemq; habent. Quippe hoc
ipsum non minus naturæ Nundinarum, quales penes Roma-
nos erant, quam Modernarum disconvenit planè. Olim e-
nim Nundinæ non tantùm emendarum vendendarumque
mercium, sed & ferendarum legum causa instituebantur.
Quæ sic commodius, dum aderat ingens hominum multitu-
do, poterant promulgari. Gruchius *de Comitibus Roman. l. 1. c. 4.
p. 81. lit. a.* Qui respectus in mercatibus penitus cessat. Ac
licet hæc duo in *Rubr. C. h. r.* connectantur, inde tamen vix li-
cebit astruere: Ergò nulla prorsus intercedit differentia.
Maximè cum & alibi in *C. Genus cum Specie* jungatur,
ut in *Rubrica de Servit. & Aqua.* Dissident igitur quoad Jus
Romanum, ut latius & angustius, quia omnes Nundinæ mer-
catus quidem dici queunt, sed non contra. Jam si moder-
nas aspiciamus, non alias agnoscimus tales, quàm quæ Uni-
versales sunt, atque à Principe superiorem non recognoscen-
te, aut libera quâdam Rep. sunt institutæ. Quæ proprietates
cum neque Anniversariis *Jahrmärkten*, quæ etiam à Princi-

pe superiorem recognoscente institui queunt, neque hebdomadariis *Wochenmärkten* quæ unius tantum civitatis aut vicium sunt, conveniat, hinc extrâ rem planè erit, eas promiscuè usurpare. Inprimis dum Nundinæ tantum propriè tales, & nunc quoque designent, quæ universales sunt; Quæ nobis in præsentem in censum veniunt, prout ipsa subjecta definitio satis abs se evictum dabit.

V.

Nundinæ sunt mercatus universales unius provinciae, vel imperii certis stasisque temporibus, certoque loco à superiorem non recognoscente ob utilitatem publicam instituti.

Arg. l. 1. D. de Nund. Grev. d. l. Matth. Steph. de Jurisdic. l. 2. part. 1. c. 1. m. 2. num. 98. Arniseus de Jure Majest. l. 2. c. 3. num. 18. Vocabulum mercatus quod attinet, in definitione sumitur illud pro ipso actu emendi vendendique, & non pro ipsis mercatibus minoribus ac minus solennibus, quos, ut supra probavimus, non nisi impropriè Nundinas dici constat. Adeoque sub genuina significatione Nundinarum nulla ratio ne continentur. Utpote quæ alicujus provinciae aut totius imperii sunt quales hodie in Imperio Romano sunt Francofurtenses, antea Moguntiae habitæ quarum initium Comitum Imperialia urbi celerberrimæ primum fœnerarunt. Arum. *de Comit. c. 5. n. 14. p. 256.* Idem *ad A. B. Disc. 1. p. 74.* ob summam videlicet commoditatem. Quare & Nundinalis Musarum Academia Francofurtenses Athenæ, Musarum Nundinæ Mercuriales & totius orbis emporiorum compendium à nonneminè vocatur. Dn. Limn. *de Jure Publ. l. 7. c. 16. num. 5.* Naumburgenses, similesque ac Lipsienses. Quas ab Imperatore Maximiliano I. Anno 1497. & 1507. ut & à Carolo V. Anno 1521. & 1547. privilegiatas ac confirmatas fuisse, tradit Dn. Carpz. *p. 1. c. 30. def. 23. n. 5.* Ex quibus constat, Nundinas propriè sic dictas *die Messen* tantum universales atque solennes mercatus dici posse, atque ab Imperatore seu alia Reipubl. aut Principe superiorem non recognoscente indictas, quæ

quæ bis aut ter solummodo in anno celebrari consueverunt, ubi mercatores ex universo imperio, aliisque longinquis regionibus commerciorum causa conveniunt. Dn. Carpzov. *d.l.n.4.* Igitur quicumque Principes superiorem recognoscunt, aut quæcunque Respublicæ liberæ non sunt ejusmodi solennes atque universales nundinas instituere haud possunt. Sich. *ad l.un.C.b.t.n.a.* Exinde videlicet, quod harum concessio est de Regalibus, iisque majoribus, prout postea dicitur, seu, ut propriè magis loquamur, de reservatis Imperatoris, de quibus cæteri status ut status participare non possunt. Ac licet reluctari hisce cum maxime vulgaris illa Theorica videatur, secundum quam unusquisque Princeps ac Status Imperii tantum in suo territorio credatur posse, quantum Imperator in Imperio, vix quicquam tamen ad rem videtur facere, est enim tantum secundum quid atque de iis tantum casibus accipienda, quibus certa ipsis jura concessa sunt, atque permessa. Vid. Reink. *de Utroq. Regim. l. 1. cl. 5. c. 6. n. 157.* Limn. *l. 4. c. 8. n. 7. 8. 9. & seqq.* Quocirca Regulæ generalitas non suspecta tantum, sed & falsissima, ac crasso quodam errore primum introducta Dn. Reink. & Dn. Limnæo videtur. Ex quibus omnibus liquidò constat, jus Nundinas concedendi penes solum Imperatorem esse. Cui, ut alia multa ita & hoc in signum supremæ eminentiæ relictum. Cæteri verò status Imperii tantum mercatus minus solennes in suis ditio- nibus subditis suis concedere queunt; sicut Serenissimus noster Saxon. Elector ante tempus aliquod Lipsiensibus *Sto- nen Viehmarkt* permisit. Dn. Limn. *l. 4. c. 8. n. 311.* Præterea quoque quilibet magistratus oppidanus absque speciali concessione Superioris mercatus hebdomadarios *Gemeine Wochenmärkte* instituere potest. Quæ de re videatur Grev. *d. l. Matth. Steph. de Jurisd. l. 2. p. 1. cap. 1. memb. 2.* Schultz. *Synops. Feud. cap. 7. num. 16.* Quod tamen secundum plerorumque opinionem potius factio ac observantia quam certo quodam jure nititur.

VI. Harum

Harum originem Græciæ tribuimus.

E Græcia Nundinas esse testatur imprimis *l. 2. ff. b. t.* Quas celebrabant non quolibet tempore, sed in plenilunio tantum, non verò cum in damno Luna aut incremento esset, *Rosin. l. 5. Antiquit. Roman. cap. 37. lit. D.* Græcorum Exemplum igitur secuti Romani primum nono quoque die Nundinas ut *suprà th. 1.* innuimus, instituerunt. Quas mercatum instar habuisse censet *Liebertthal Ex Pol. 7. th. 37. Grev. l. 2. concl. 60. num. 2.* Quanquam illas potius hebdomariis Nundinis annumerandas esse arbitrentur *Sich. ad Rubr. C. de Nund. Wessenbec. in w. ad b. t. num. 1.* Quorum opinio præ priorum sequenda videtur. Imprimis si tempus quo habitæ illæ penes Romanos Nundinæ fuerunt, inspiciamus, quod cum hebdomariis penitus convenit. Atque hæ quidem primæ Romanorum Nundinæ sunt, quæ diem non amplius unam durarunt. Postea verò alias, easque solenniores introduxerunt, quæ non die uno, sed pluribus ac certis demum finitæ sunt. Id quod *ex l. 138. pr. de V. O.* cum maximè efflorescit, ubi plurium nundinalium dierum mentio fit. Quæ lex prioribus illis nundinis accommodari non potest, sed de majoribus utique accipi debet, ut quæ certis destinatisque temporibus recurrebant. Hinc *Tac. l. 1. Histor. c. 30.* ait: Magna pars Italiæ statò in eosdem dies mercatu congregata. Qui locus imprimis designat, per certos dies ejusmodi nundinas continuatas fuisse. Autorem Nundinarum priorum si investigamus, eum vix certum invenire possumus, dum talem nonnulli Romulum perhibent, alii verò Tullium. *Rosin. l. 4. Antiquit. Romanar. cap. 17. lit. C. pag. 655.* Ut ut sit constat pro habitu Reipubl. non uniformiter fuisse indictas. Cui ex parte fidem facit *Plin. lib. 5. Ep. 4.* Imperio autem ad Cæsares devoluto, hoc est eo tempore, quo *omnia Cæsar erat*, ad hunc tale jus pertinere cœpit *l. 1. ff. de Nund. l. un. C. eod.* Quâ ratione & hodie Imperator quem penes summa Majestas in Imperio

perio omniaque ei annexa jura, quale & hoc est, Bocer. de Regal. lib. 1. cap. 2. num. 37. Reink. de utrog. Regim. l. 1. cl. 5. cap. 6. n. 156. Schultz. Synopf. Feudal. cap. 7. num. 115. resident. Sutholt. dissert. de Icton. aphor. 22. solus universales Nundinas instituendi facultatem habet.

VII.

Præter Imperatorem tamen hanc tribuendi Nundinas potestatem & Regi Romanorum, etiamsi adhuc à Pontifice coronatus non sit competere, affirmare haudquaquam dubitamus.

Postquam *th. precedente inf.* dictum est solum Imperatorem in Imperio universales Nundinas concedendi habere auctoritatem; hinc congruens utique erit disquirere; *Utrum electus Romanorum Rex etiam ante coronationem de tali jure participare queat, non habitâ ratione quod à Papa nondum habitenus sit coronatus.* Qua quidem in quæstione decidenda, quam Sabbathinam, hoc est, talem (prout Raphael Fulgos. in l. qui mutuam §. non ideo ff. Mandat. explicat) quæ religiosè ac circumspectè tractari debet, putamus esse; nonnulla de Romanorum Rege præstruenda veniunt, quo explicitior inde de eâ judicandi ratio existat. Scilicet non de eò hic Rege loquimur qui Vivo adhuc Imperatore eligitur, quod legibus Imperii nostri haudquaquam disconvenire Arumn. ad Aur Bull. disc. 2. thes. 13. auctor est, ob text. Aur. Bull. c. 1. in pr. cum quo concinit Dn. Carpzov. *disp. Feudal. 2. quæst. 3. Semid.* Hic igitur cum delegatam tantum habeat jurisdictionem, dum quicquid in Imperio agit, non suo ac proprio, sed Imperatoris nomine censetur exercere, Dn. Carpz. *ad Leg. Reg. cap. 11. sect. 5.* hinc Nundinarum concedendarum jus ei penitus derogamus ob Capitulationem nimirum Rudolphi Secundi ac Ferdinandi Tertii, *Wir wollen und sollen uns auch keiner Administration in Heil. Römischen Reich/weiter oder anders unterziehen denn so viel uns des von Keyserl. Majestät ver-gönnet/ oder zugelassen würde / auch Ihrer Keyserl. Majestet die*
B zeit

zeit ihres lebens an Ihrer Hoheit/und Würden des Keyserthums
keine irrung noch eintrag thun. Quæ omnia sanè evincunt,
talem Romanorum Regem ut plurimum aliorum ita & hujus
juris incapacem esse. Sed de illo Romanorum Rege ser-
monem nobis esse, qui mortuo Imperatore eligitur. *arg. A.*
B. cap. 2. §. Und dieweil von alter löblicher Gewonheit. Talis si-
quidem quoniam etiam absque coronatione Pontificis Im-
peratoriam ~~in~~ Majestatem totam ac integram habet,
quid obstabit itaque quo minus unà cum omnibus aliis juri-
bus & nundinas concedendi potestate fruatur? Eum ve-
rò de singulis ac universis revera participare præter alios te-
statur. Finckelt. *Disput. Feud. 4. thes. 2. lit. D.* Quo nomine
Maximilianus I. in Comitibus Constantiæ 1507. celebratis, di-
gnitatem atque auctoritatem penitus ex arbitrio Principum
Germaniæ dependere coram omnibus est professus. Hinc
quid coronatio Papalis Imperatori adjiciat conjicere in ar-
duo minimè est, qui peracta statim electione electus Roma-
norum Rex dicitur atque ut Crantz. *lib. 9. cap. 15.* loquitur ad-
ministrationem habet citra ad sensum Pontificis. Equidem
si rem ex antiquitate protrudamus, primitus Reges fuerunt
uncti, id quod mirè eorum conditionem sacra vitæ. Quæ
res, ut loquitur Petrus Cunæus *de Republ. Hebræor. cap. 14. lib. 1.*
celsitudinem quandam divinam Regibus, majestatemque ad-
didit, sacrosancti in terris ut essent, atque commercia cum
Numine haberent; Cæterum hic ungenti modus sicuti ab
Hebræis provenit, ita & plures aliæ gentes illum assumerunt.
Donec tandem translato Imperio Constantinopolitano cæ-
teris electionis regiæ ceremoniis imitatione Hebræorum hæc
addita fuit, ut qui primum renunciatus esset à Patriarcha
Constantinopolitano, in magnâ Byzantii basilica unctus
diademate aureo coronaretur. Clut. *Syllog. Rer. Quotidian.*
thes. 4. lit. d. Tales coronæ passim sacræ veluti solenni appella-
tione dicuntur, quia sunt auspiciatæ sanctitatis illius, quæ
in Regibus residet, propria Symbola. Joh. Henric. Bocler. *de*
Auspicio Reg. cap. 3. pag. 50. præter alia scribit, Orientales ideo
Impe-

Imperatorū capita orbiculari diademate divinitatis jam olim
signum habente, ornasse, quo magis sanctitatem istam expri-
merent, prout in numinis videre est. Hunc igitur morem
postea tam Pontificatus quam Imperii successores religiosè
observarunt, non quod jurisdictionem se inde consequi arbi-
trarentur, sed Ecclesiæ precibus ac benedictione ea dona sibi
interius conferri & augeri cuperent, quæ exterior atque visi-
bilis unctio præfiguraret. Clut. d. l. ibique allegatus Albe-
ricus de Rosate. Scilicet talis jurisdictionis expertes sunt
Pontifices, qui nullam super Imperatorem potestatem ha-
bent, sed ipsi potius subsunt; ut ipse Gregorius Magnus in
quadam Epistolâ ad Mauritium fatetur referente Guil. Bar-
clajo de Potest. Pap. c. 3. Sunt autem verba Epistolæ: *Ego autem
indignus pietatis vestræ famulus* Et paulo post: *ad hoc enim po-
testas super omnes homines, dominorum meorum pietati cælitus da-
ta est.* Quod si igitur nonnunquam Imperatores ad capes-
sendam coronam Romam venerint, ac blandè nimis atque
submissè sese erga Pontifices gesserint, hoc non cæteris præ-
judicio esse, aut damnum afferre potest imperiali dignita-
ti, quæ ipsis competit de Jure. Finck. d. F. 4. thes. 2. lit. D.
Imprimis si attendamus superstitioni, quæ tunc regnabat.
Neque verò ullo jure hæc Pontificibus autoritas delata est,
licet provocent multi ad *A. B. tit. 2. § 3. Einen Römischen
König zu einem Keyser künfftig zu erheben/* Ut ut enim concesserim
Carolum IV. d. d. verbis ad sua respexisse tempora qui-
bus coronatio pro complemento habebatur; attamen ho-
nos ac onus illud hodie evanuit, postquam compertum est,
talem coronationem nihil realitatis dignitati Imperatoris
conferre, cum sola Electorum vota sufficiant. Dn. Carpz.
*D. F. 3. quest. 2. Semid. Dan. Otto. de Jur. Publ. cap. 10. D. Limn.
l. 2. cap. 4. num. 70. Arum. ad A. B. disc. 2. cap. 20.* Parum quoque
vel nihil potius ad rem facit *l. 6. C. de Fer.* dum ibi expressum
haudquaquam invenitur in ipsa coronatione Imperatorem
fieri. Quocirca & frustra ab Adversariis adducitur.

Modi acquirendi Nundinas sunt duo : scilicet
Concessio Imperatoris.

Ex antecedentibus satis utique constabit ac super Nundinas ex ipsa Imperatoris concessione oriri. Scilicet cum experiundo jam cognitum sit, ipsum commerciorum exercitium ac mercaturæ Reip. quammaximè conducere, factum est, ut Principes, quos custodes Plato nominavit, de promovendis negotiationibus nunquam non laboraverint. Est quippe commerciorum finis comparare necessaria, distrahere superflua, sine fraude ac dolo. Adam à Contzen. *l. 8. Pol. c. 10. §. 10. in pr.* Sicut hoc ipsum declarat exemplo Salomonis *3. Reg. 10. v. 22.* Igitur cum mercatura maximum Reip. præsidium habeatur, recte ad eò atque ordine faciunt Principes, si in ejus favorem certas Nundinas instituunt, ut quarum utilitas summa est, Scacc. *de Commerc. d. l.* Et potest hoc pacto quoque meritum unius vel alterius civitatis recompensari. At verò nihil æquè superiorem in Rep. decet, quam pœnas ac merita unicuique tribuere ex æquo. *arg. l. 4. C. de stat. & Imag.* Quæ duo sunt quasi Reip. fulcra Gerhard. *tom. 6. de Magistr. Polit. art. 9. n. 293. pag. 999.* Inde videmus in literis Confirmatoriis Nundinarum Francofurtensium hoc specialiter expressum : *Das Bier &c. Durch merckliche dienste und trewe / die Uns und dem Reiche die Burgemeister und Rath &c. quarum integrum concentum exhibet D. Limn. l. 7. c. 16. n. 4. & seqq.* Quo casu sponte Nundinæ concessæ intelliguntur. Aliquando tamen etiam rogatus concedit. Quod dum facit cautè circumspicere debet, ne forte alicubi nundinis jam institutis, alias in vicino quodam loco superinducat, quo efficitur, ut ipsa commercia impediuntur potiùs, quam promoveantur. Imo jus alteri quæsitum sic aufertur, quod fieri nec debet nec potest, & si tale quid faciat Princeps, injuste equidem facit. *Vasq. lib. 4. contr. Illustr. cap. 1. n. 10.* Extra rem igitur sunt statuentes, quia tale ex mera Principis indulgentia provenit, igitur

igitur & rursus auferri potest, cum nihil tam naturale sit, quam ut unumquodque eo, modo quo colligatum est, rursus dissolvi queat *per vulgata*. Si quidem nec hoc modo plenitudine potestatis suæ uti debet Princeps, ne vel notam inconstantia incurrat, vel sua placita rursus annihilare videatur. *l. 35. C. de Inoff. Test. Rauchb. l. 2. qq. 9. n. 49. & seqq.* Quinimo sic pro beneficio summam reponeret injuriam, quod in humanum videretur, adjuvari enim non decipi officio oportet *l. 17. §. sicut in fin. ff. Commod. Arnif. de Jur. Majest. lib. 3. c. 1. n. 7.* Neq; autem Principes tantum cautè in hoc agere debent, sed & impetrantes Nundinas docere debent, se nec injuriâ, nec invidia aliarum civitatum tale quid postulare. Et si hoc non probant jure ac merito repelluntur *arg. l. 3. de Oper. Publ.* Quare necesse est primum, ut omnes hi, quorum interesse putabitur, citentur *arg. l. 8. ff. de Aq. pluv. arc.* quo de illorum consensu constare queat. In primis verò, quoniam Imperator nunquam consuevit privilegium Nundinarum alicui concedere, nisi prius adjacentibus vicinisq; civitatibus, quarum interesse quavis ratione potest, auditis. *Gail. lib. 2. obs. 69. n. 15.* Secundo nihil reticent quoque ejus generis, quo audito Princeps in aliam inclinare potuisset sententiam. Idque ideò, quia præsumendum, Imperatorem si scivisset, aliorum hoc obesse commodis, privilegium non concessurum, *arg. l. 2. C. si contra jus vel util. publ.* Quippe qui potestate suâ ita ut debet, uti omnes subleventur, ac nullus contra jus ac æquitatem prægravetur. *Reink. lib. 2. cl. 1. c. 1. n. 52. in fin. Sichard. ad Rubr. C. Vectigal nov. instit. non posse. Myns. 5. obs. 31. n. 1. & seqq.* Ergo si reticuerint talia, beneficium erit obreptitium.

IX.

Atq; Præscriptio.

Ordo nunc nos deducit ad alterum acquirendi Nundinas modum, nimirum Præscriptionem. De quo pauca secundum propositi nostri leges, addenda veniunt. Equidem hoc jus ad instar aliorum Regalium contra Imperatorem præscribi posse tempore Immemoriali multis locis ostendi-

tur. c. super quibusdam s. prater ea x. de V. S. R. A. zu Augspurg
de anno 1348. Schneidw. ad tit. 7. de Usucap. in requisito 6. Reink.
lib. 1. cl. 5. cap. 2. num. 24. & seqq. Bocer. de Regal. c. 4. num. 45 Arnif.
de jur. Maj. lib. 2. cap. 2. n. 6. Est quidem alias vulgata regula ad-
versus ea, quæ reservata sunt Principi nullam præscriptionem
currere, c. cum inter x. de Consuet. l. 6. C. de Præscr. 30. vel 40. an-
nor. Inde volunt existere, nec Nundinarum jus præscriptioni
subjacere. Verum quicquid demum sit, aliam esse ratio-
nem constat illorum, quæ Principi sunt reservata in signum
superioritatis seu universalis recognitionis, quarum præscri-
ptio non procedit. Et ea, quæ reservata sunt principi in si-
gnum præminentis dignitatis, contra quorum præscriptio-
nem adduci nihil potest, cum salva extrema & suprema Prin-
cipis potestate præscribantur. Quemadmodum ita com-
muniter tradunt Dd. Bocer. d. l. n. 47. Modest. Pist. conf. 4. n. 28.
& alij. Hoc unicum adhuc facessit negotium, quantum vi-
delicet temporis ad hanc immemoriam præscriptionem re-
quiratur? Circa quod in diversas opiniones Doctorum
cohors scinditur. Plurimi tamen communiter centum an-
nos requirunt l. 56. ff. de Usufr. nisi eo fundamento quod cen-
tesimus annus ultimus vitæ humanæ terminus sit d. l. in fin. 3.
D. Struve Exerc. 35. th. 17. Arnif. d. l. lib. 2. c. 2. n. 6. A quibus di-
versum abit Reink, d. l. n. 41. sufficere statuens, si memorare de
principio nemo queat. Quæ opinio & à Practicis recepta.
Nam Mynf. 1. Obs. 30. Gail. 2. obs. 66. num. 8. requirunt testes, qui
canitie debent esse venerabiles, qui volunt deponere, quod
ipsi nunquam aliter fieri viderint, nec à Majoribus aliter fa-
ctum esse audiverint. Quæ causa est cur sic nullum certum
tempus præscriptionis hujus definire liceat, dum interdum
breviori, interdum verò longiori spatio absolvitur. Jam quod
ad Imperatoris scientiam attinet, statuimus, eam necessariam
haud esse, postquam certo constat æquiparari concessioni, e-
jusdemque esse efficaciam, quam ipsa concessio specialiter fa-
cta habet. Mynf. d. obs. 30. Bocer. d. l. Matth. Steph. lib. 2. part. 1.
c. 1. memb. 2. Vultej. de Feud. l. 1. c. 9. n. 23.

X. Circa

X.

Circà Nundinarum institutionem duo imprimis
considerari debent, locus nimirum, ac
tempus.

Dictum supra *thes. 5.* est, certo loco Nundinas institui,
quod cum de certâ urbe vel oppido, tum de certo urbis loco
est intelligendum. Hunc igitur constituimus forum, à fe-
rendo dictum, quod eò controversias suas, & quæ vendere
vellent, deferrent. *Rosin. lib. 9. Antiquit. Romanar. p. 1435. lit. a.*
Hinc *Venul. lib. 1. Ep. 19.* ait:

forum, putealq; Libonis

Mandabo siccis, adimam cantare severis.

ubi respicit ad controversias in foro decidendas. Templâ igitur
ædesque divino cultui sacratæ hinc penitus removentur,
quippe quæ domus precationum sunt. *Matth. 21. v. 13.* Quo-
circa non permittendæ in iis sunt negotiationes seculares.
c. 16. q. 7. Porriguntur autem modo dicta ad ipsa coemiteria
quoniam & hæc sunt maximè religiosa. *§. 9. Inst. de Rer. Div.*
cap. 2. de Indemnitate Ecclesiæ in 6to. Innuat hîc sese quæstio:
Utrum Princeps Nundinas aliquo loco institutas ad tempus urgentis-
simâ de necessitate ac causa in alium transferre queat? Quam af-
firmativè decidimus moti imprimis præjudiciis, dum tale fa-
ctum fuisse multi recordantur. Imo ipsi concessioni tacitè
inesse videtur ista conditio, ut tamdiu isto in loco celebrari
debeant, donec non emergat nova quædam eaque gravissima
causa, quæ alio transferre impellat ac suadeat *a. l. 38. D. de So-*
lut. Possunt huc facere exempla translatarum Academia-
rum. Sicut Academiam Francofurtensem non ita pridem
alio, Jenensem aliquando Salveldiam, Friburgensem Rein-
feldiam, luem propter contagiosam Limn. *de Jur. Pub. lib. 8. c. 1.*
num. 55. ex *Zasio in l. fin. de Jurisd.* translata esse refert. Jam
quod tempus attinet, illud ex concessionis formula est pe-
tendum, in qua communiter est expressum. Maximè autem
cavendum est, ne in dies festos incidant Nundinæ aut à die-
bus

bus Dominicis initium capiant, quod tamen usu, quanquam injusto, invaluit. Nec Mercatoribus prodest, dum facris finitis demum merces exponunt. Quippe non pars tantum Sabbathi, sed integer dies secundum Jehovæ mandatum. *Exod. 20. vers. 8.* sanctificari debet. *Coler. de Proc. Exec. p. 1. cap. 10. num. 149.* Inde factum Imperatoris Wenceslai nunquamnon ab omnibus laudatur, quod Nundinas Francofortenses Paschales in ipsa septimana, quam Christi Salvatoris passione sacram esse pia voluit Antiquitas hactenus celebratas noluit amplius admittere, sed ordinavit, ut proximo præcedente Veneris die finirentur. Wir haben verornommen &c. Das die N. zeit in der Charwochen unnützlichen verzehret würde/ und davon das solcher Schade und Irzal unternommen werde ist Vnsere meinung und gebieten Euch ernstlich und festiglich bey unsern und des Reichs hulden/ das ihr schaffet und bestellet/ das die Fastenwoche außgehe an dem Freytage vor Palmteage &c. Vid. hujus Imperat. Schreiben der Franckfurter Meß halben/ wann solche auß und angehen sollen. *Limn. lib. 7. c. 26. num. 29.*

XI.

Finis Nundinarum est ipsa Reipubl.
utilitas.

Supra jam *thes. 8.* dictum est, finem Nundinarum in utilitate Reipubl. stare allegato quoad hoc *Adam à Contzen.* Est enim sic comparatum ferme, ut nulla, quæ demum cunq̄ue Respubl. sit, aut Regio ex se ex omni parte *diversis* atque sufficiens sit. *Arist. l. 1. Polit. 6.* Hinc commodius unicuique subveniri non potest, ac necessitates sublevari, quam invehendo ea, quæ necessaria, & avehendo illa, quibus abundat. *l. 2. D. h. t.* Quippe Mercator urbibus prodest, Medicus ægris mango venalibus, *Sen. l. 4. de Benef. c. 5.*

XII. Privi-

XII.

Prilviugia harum sunt varia, quorum potissima tantum hic exsequi animus nobis in presenti est.

Ob Nundinarum favorem atque commoditatem multa quoque esse introducta, quo explicitior esse queat negotiantium ratio, quis est omnino qui ignorat? *Primo* enim quod non minimum sibi vendicat locum, quoslibet ac singulos ad Nundinas venientes sub Imperii recipi protectione speciali, congruaque latari securitate salubriter est constitutum. vid. *Kaysers Friederichs aufschreiben über die Mess und das die jenigen/ so solche besuchen/ in Kayserl. Majestät und H. Römischen Reich sonderbahren Schutz und Schirm sein.* apud *Limn. l. 7. cap. 16. num. 24.* Hinc & Duci cuidam Mercatoribus, ad Nundinas Francofurtenses euntibus, salvum conductum præstare neganti, cum mandato pœnali sine clausula justificatoria jussum esse. Das er sie forthin zur Messe wie im Reiche gebräuchlich geleiten lasse. ex *Gylman. Henckel. de Salv. Conduct. refert.* Ac licet quidem Principibus abs se incumbat, viarum curam agere, easque præstare tutas, sicut Carol. V. talem securitatem omnibus per Imperium peregrinantibus præstari vult. *Recess. Ann. 1548. vers. 1.* Ferner noch zu mehrer &c. *Arum. ad A. B. disc. 1. thes. 17.* Attamen Mercatores melius sibi consulunt, si per solutis teloniis nach erlegung des glaitsgeldes per territorium petunt deduci *Knich. de Saxon. non provoc. c. 5. vers. Ducum n. 38.* Cum primis postquam hæc viarum cura non nihil hæctenus refrigerare cœpit. *Köppen. decis. 37. num. 1. & 2.* Olim sanè cautè provisum fuit ordinatumque, ut Nundinarum tempore passim stipendiarii Aufreuter in hunc finem alerentur, Das Sie das geleit bereiten müsten/ derowegen wenn das Gleit benommen/ und in des Gleitsherrn Land entweder verlohren/ muß es der Gleitsherr wieder erstatten *R. A. de anno 1559. S.* Damit denn die Obrigkeit. Nec hoc ratione omnino caret, siquidem Dominus accipiens vectigal, salvum quoque conductum tacitè promittere vide-

C

tul:

zur: jam verò non minor est vis taciti, quam expressi,
per vulg. Wurms. Exerc. Jur. Publ. 6. q. 22. ibiq; allegati. Talis
autem securitas respectu Nundinarum consistit in eo, ut
quis liberum accessum, recessumque habeat, nullum au-
tem privilegium tribuit mercandi citra leges atque statu-
ta. Dn. Frantzk. Resol. l. 2. p. 162. n. 60. Secundo Nundinæ quo-
que privilegiatæ sunt quoad Arresta. Iis siquidem du-
rantibus nulla omnino arresta conceduntur, & nullus ex
causa vel obligatione civili detineri potest. l. un. C. b. r. Nov.
52. c. 1. Col. de Pr. Execut. p. 2. c. 3. n. 64. Bocer. de Regal. cap. 2.
num. 240. Sich. ad b. t. num. 2. Dan. Moller. lib. 1. Sem. c. 12. num.
2. 2. & 3. Quod ipsum quoque expressè invenitur constitu-
tum. Nov. Elect. Aug. p. 1. c. 30. §. Wir wollen aber sonderlich /
das in allen fällen &c. Vid. hic Dn. Carpz. p. 1. c. 30. d. 23. ubi ad-
dit, hoc privilegium tantummodo de Nundinis solenni-
bus exaudiri; cum quo facit. Berl. p. 1. concl. 77. num. 3. & 4.
& insuper in solatium tantum mercatorum non vero alio-
rum civium, qui mercatores non sunt esse introductum.
l. un. C. de Nund. & Merc. d. const. 30. §. ult. in verb. der Hân-
del und Werbung haben/ die Freyheit gehalten Dn. Carpzov.
d. l. d. 24. Nee refert respectu Juris Saxonici utrum debitum
in ipsis Nundinis contractum sit an non, quia textus gene-
raliter loquitur, Id. d. l. def. 26. Dn. Frantzk. in Comment.
ad w. lib. 2. tit. 12. num. 18. licet contrarium in jure Justinia-
neo inveniatur dispositum. l. 25. D. de Jud. Wesenb. ad tit.
de Nund. num. 2. Schultz. in Synops. Feud. c. 7. num. 120. Quæ
omnia eatenus vera sunt, quatenus privilegio huic à debi-
toribus non est renunciatum, quod enim simul atque fa-
ctum est, cessare hoc privilegium incipit, cum quisque ju-
ri pro se introducto renunciare possit l. 41. D. de Minor. l. pen.
C. de Pact. Dn. Carpz. p. 1. c. 30. def. 22. Berlich. p. 1. Concl. 77. n.
12. Schultz. d. l. n. 120. Ex dictis jam quæstio efflorescit: *utrum
privilegium hoc de non arrestando extendatur ad illum locum,
quo sine mercatores ad Nundinas venire ac redire nequeunt?*
Quam voluntatis inter se rationibus negare haudquaquam
vere-

veremur. ob. l. un. C. b. t. Schultz. d. l. ut & verba Nov. Innerhalb der öffentlichen Märkte Berlich. p. 1. concl. 77. n. 9. & seqq. Est quippe hoc privilegium mercatoribus competens locale ac temporale, illis tantum temporibus ac illis in locis concessum, ubi Nundinæ celebrantur, d. l. inf. C. de Nund. Quæ autem privilegia localia sunt, ad alios locos extendi non debent. a. l. qui derelictâ Curia 17. & seq. C. de Decur. Igitur quoniam verba d. Nov. innerhalb der öffentlichen Märkte de durantibus tantum Nundinis concepta sunt, inde ad illud tempus, quando Nundinæ per signum campanæ finitæ sunt, trahi nequeunt. Dn. Carpzov. p. 1. c. 30. d. 28. in pr. Similiter arreſta ſecundum Berlich. d. l. num. 9. antequam Nundinæ fuerint inceptæ decerni optima ratione poſſunt, ſc. eò tempore, ehe die Meſſe eingelauret.

XIII.

Quoad privilegium de non arreſtando non omittendum, indignos illo multo admodum eſſe.

Excidunt autem hoc beneficio (I.) Hoſtes l. Mercatores 4. de Comm. & mercat. qui nimirum nobis, aut quibus nos publicum bellum decrevimus. l. 118. de V. S. Dan. Moll. ad Conſt. Sax. p. 1. conſt. 30. n. 13. & ſeqq. (II.) Banniti, quippe & tales hoſtibus annumerantur. l. 5. §. 1. de Cap. Minut. Metuendum enim maximè eſt, ne ejuſmodi homines contra Rempubl. quid machinaturi ſint, pacemque publicam ſ. Nundinas turbaturi. Immò nec cauſa ac ratio privilegii, quæ eſt favor utilitasque commerciorum, extensionem hîc quandam permittit. Dn. Carpz. d. l. def. 30. (III.) Rei criminum. a. Nov. 17. c. 7. Privilegia enim nunquam ſunt ejuſ nature, ut extendantur ad maleficos Sich. ad h. l. (IV.) Mercatores Falliti, die Banquerottirer, qui bona fortiter abſumpſerunt, aut alios defraudarunt; hi quippe privilegio Nundina-

rum haudquaquam gaudent, sed & insuper tanquam carcinomata Reipubl. sunt puniendi *Recess. Imp. de anno 1548. tit.* Von verdorbenen Rauffleuten pr. ibi. Dieweil solche betrügliche und schädliche Handlungen/die sich einen diebstal wohl vergleichen / dem gemeinen Nutz zum nachtheil gereichen &c. atque furum supplicio afficiendi, secundum novissimum mandatum der Hanseestad wieder die muthwilligen Falliten und Banquerottierer impressum Lubecæ & publicatum 20. April. Anni 1620. ibi auff solchen fall sol nach vorhergehender declaration nicht allein die schandglocke über ihn gelanet / sondern auch mit öffentlicher auffstellung an den Pranger ewiger Verweisung / auch nach vermerkten Umständen als ein Dieb oder Falsarius an Leib und Leben gestraffet werden. Finck. *in disp. de Prescr. morat. thes. 18. l. a. in fin.* Vult quidem Berlich. *d. l. n. 10.* privilegium hoc & iis denegare, qui de fuga suspecti sunt, verum contraria sententia & quidem de praxi, verior est, ob generalitatem *d. Novel.* ac cætera fundamenta quæ adducit Dn. Carpz. *p. 1. c. 30. def. 25.*

XIV.

Amittitur autem Nundinarum jus non uno modo ac ratione sed variis.

Supereft, ut de modis amittendi videamus. Postquam enim de acquisitione earum ac cæteris solliciti fuimus, par quoque est, ut de amissione dispiciamus. Primum amittuntur Nundinæ, si quæ forte civitas decennio eo jure non sit usa *l. 1. D. b. t. Sich. ad l. un. C. b. t. n. 6. Gail. 2. obs. 60. n. 10.* qui tamen hoc ipsum eatenus procedere putat, si quis intra decennium eo non sit usus voluntariè: ut puta quia potuit, sed tamen noluit uti, non verò si ob necessitatem eventientem non potuerit uti, nam tali casu, quia nulla negligentia non utenti imputari potest, privilegium non amittit, etiamsi eò longissimo tempore non sit usus *arg. l. 35. D. de S. R. P. Matth. de Afflict. dec. 392. n. 2.* Cum non valenti

lenti agere nulla currat præscriptio l. 1. §. ne autem C. de an-
nal. except. Ital. contract. toll. Grev. l. 2. Concl. 60. conf. 2. p. 1. 2. 3 &
seqq. Wesenbec. tamen in π. num. 4. de Jure Sax. illud annis
demum 31. per non usum amitti putat.

(2) Si princeps qui concessit idipsum revocaverit,
quod tamen indistinctè non est accipiendum per ea, quæ
thes. 13. dicta sunt, cum ipse per concessionem contraxisse
quasi cum subditis videatur, contractus autem cum juris
gentium sint. l. 5. D. de I. & I. illos adimplere Princeps &
servare necesse habet cum illo jure non sit solutus l. 60. §. 1.
D. de Condit. & Demonstr. Arnif. de Jur. Maj. supra d. l. Necesse
igitur est, ut adsit urgentissima causa vel quod privilegiati
eo jure enormiter sint abusi, paria enim sunt non uti, &
non legitimo modo uti a §. fin. Inst. de Usufr. vel quod crimen
læsæ Majestatis commiserint, tunc enim merito ut indigni,
privilegiis privantur.


(3.) Si ipsa Urbs in qua exerceri nundinæ solebant
autoritate superioris ob delictum, rebellionem aut aliud
ejusmodi, evertatur, & solo æquetur, quod Veteres aratro
ducto facere consueverunt Horat. l. 1. Carm. Od. 17.

Imprimeretq; muris

Hostile aratrum exercitus insolens.

Tunc enim lapso principali, corruat necesse est accesso-
rium l. 21. D. quibus mod. ususfr. amittatur Grev. l. 2. Concl. 61.
num. 1. & 2.

Tantum.



Ad trerestantissimum

DN. RESPONDENTEM Amicum &

Convictorem suum peramandum.

Dum fedet hæc, LUDECE, tuo sententia cordi,

Mercaturarum quas de solennibus altâ

Mente *theses* meditatus eras, nunc tradere *Famæ*,

Næ facis egregiè: *studia hæc academica* pulchrâ

Cum *mercaturis* possunt ratione parari.

Quippe velut Mercator is est laudabilis, omni

C 3


Tem-

Tempore, qui tantum preciosa negocia tractat
Mercibus eximiis; sic Mercatoris adimplet
Munia prudentesq; vices, dum acricula, & ista,
Queis alii, magno sed cum discrimine vitæ,
Dulce putant inhiasse, procul contemnere gestis.
At matronali Jurisprudencia vultu
Quæ strenuè explicuit, non cassa negocia tractas.
Macte isto ingenio. Mox post tam longa laborum
Tœdia, grata tamen, plenâ se fronte videndam
Prendendamq; Tibi Jurisprudencia sistet.

Christianus Wehse/ J. U. C.

Acad. & Consistorii Witteb.

ProtoNotar.



D B man zwar niemals nicht des Glaubens sol vergessen;
So nimbt man diesen doch vor nemblich in dem Messen
Absonderlich in acht; Ein ieder Handelsman
Als denn bis nechsten Marckt erst Sidem haben kan /
Wann / was Er hat vorhin von andern auffgeborget /
Er fleißig nimbt in acht / sters wacher / denckt und sorget
Wie Er sich schuldlos mach; und zahlt den richtig auß;
Wo anders; wird zuletzt ein Banquerot daraus.
Das hastu recht und wohl ietzt Dier auch vorgenommen
Mein Bruder / weil nun ist die Mess herangerommen
Da du außzahlen solst / was du bishero hast
geborget / und alhier von Baldus Lehr gefast
Was Messen sein / und was derselben rechte wollen
Hastu wohl außgeföhrt / in welcher zeit sie sollen
Berjähret sein / und was sonst mehr zumercken ist
hiervon; wird sehen der / so deine Schrift durchlist.
Also bezahlstu recht / du kanst nun Hoffnung machen
Dem / dem du vor verpflicht / zu viel viel größern sachen
Drümb fahre ferner fort / und dich dring' an den Ohre
Da Themis selbstes sitzt / so fährestu recht fort.

Busso Maschow.

1.
Ich dache dich selbst zühörere
Wie Du mit grossen Ehren
Wirst weisen deine Kunst;
Doch ist dieß nun ümbsunst.
Die Reise drauff Ich nichtre/
Mache meinen Wunsch zu nichte.

2.
Drümb wil Ich deinen Willern
Nur noch zulezt erfüllen;
Vnd ziehn mit dieser Schrifft
Das Werck das du gestift;
Wo ja durch dieß mein lallern
Kan wasß von Ziehr gefallen.

3.
Ich kenne deine Sinnen
So guth alsß mein beginnen /
Ja der und jehner weiß
Den oft-berühmten Fleiß /
Wer wolte nach geziehen
Dich nun nicht billich rühmen ?

4.
Du hast stets mit belieben
Den HANDEL fortgetrieben
Den HANDEL den allein
giebt Iesus seinen Schein;
Der Dich auch sehr gestärcket
Alsß Er dein thun vermercket.

5.
Sein MAXER. HANDE und die Plätze
der rühmliche GEGEBE/
Stand haben / suchrest Du:
Vnd dem lege Zeugnuß zu
Dieß WERCK / das du jetzt treibest /
Da du von MAXEREN schreibest.

Des

Des Himmels reicher Segen
Sey stets auff deinen Wegen,
Das du so fort für fort
Mehr nahest an den Pore.
Vnd kanst mit grossen Ehren
Den **M B S E N - M A R K T** vermehren.

Schrieps in eyl seinen werthen Freunde
beym Abzuge
Enoch Gläser.



En Kauffman der sein Hauß und Laden wolt verschliessen
Wenn **M A R K T** gehalten wird/wie könte der geniessen/
Des Käuffers blander Thaler pracht?
Man würde sein schädlich und thöricht beginnen/
Betrachten/ verachten/ sein rummes besinnen
Von Jedern würde sein verlacht/
Vnd diesem gleichet der/ der zwar auff Pindus spizen
Sich Tag' und Nacht bemüht und ofte pflegt zuschwizen
Bey guter Künste schweren Kauff;
Er läuffet und käuffet auff Leucoris Awen;
Lest aber die Wahren gar keinen beschawen/
Helt sich wie der dem mangelt/ auff.
Er lebet unbekant/ Weil Er nicht läffet sehen
Das was Er eingemarckt/ und bleibt für andern stehen/
Verschüttet offte Lieb' und Gunst/
Drumb liebet und lobet dein löblich vollbringen
Heut **M B S E N**/ ein ieder und dencket zusingen
Das/ was erfordert deine Kunst.
Wie solt' ich dann iekund das wünschen unterlassen
Vnd nichts in diese Reim/ wie schlechte sie sind/ verfassen/
Da doch die Pflicht ein anders heist?
Der Himmel der gebe Dier weiter gedeyen;
Vnd höre von Jederman sagen mit frewen:
Du seyest gar wohl zu Marckt gereist.

Gottfried Herwig von Ascherleben.
E N D E.








ULB Halle
002 684 632


3



Vd 17







Q. F. F. Q. S.

DISPUTATIO JURIDICA

De

1644 7 30

871

NUNDINIS.

*De hac mater
Epistola tractatu
19^{to} Frisig.*

Quam

Magnif. Amplifs. Jctorum
Ordine permittente


PRÆSIDE

GOTFRIDO SCHNEIDERO,
J. U. D. & Cur. Provincial. Advocat.
Ordin.

Publica Eruditorum censura subjicit

JACOBUS Luedecke/
Müling. Saxo.

In Auditorio Jctorum
d. Maj. horis antemerid.



WITTEBERGÆ

Excudebat JOHANNES RÖHNERUS Acad. Typogr.
ANNO MDC XLIX.

*GT.
54*

